



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 81. Quid adhuc circa celebrationem Missæ sit observandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

Christi morientis fluxisse aquam naturalem, uti refert *Arcudius* l. 3. c. 39., id autem illicitum est apud Latinos, hinc solvi debet, uti dictum est de vino, aut etiam solvi potest digito. Improbant autem *Suar. & Gob.* in Exp. t. 3. n. 55. tanquam irreverentiam, si solvatur halitu.

§. 3. Ne fiat congelatio, potest calidum fer- 558.
rum, filex vel globus æneus mundo linteo involutus imponi calici usque ad infusionem vini, ut sic calefiat totus, *Gob.* in app. ad num. 65. Commodius tamen est carbones accensos ad latus corporalis admoveere, & quandoque illis obvertere calicem.

Q. 81. Quid adhuc circa celebrationem Missæ 559.
sit observandum. R. seqq. §. 1. Sa ait Missam celebrari debere cum A.B.C.D., id est, Altè, Bre- viter, Clarè, Devotè: quas omnes particulas rectè explicat *Gob.* in Exp. t. 3. n. 813. Addit *Gav.* debere celebrari etiam cum E, id est, Exactè secundum Rubricas. Quod brevitatem attinet, *Synodus Coloniensis* Anno 1662. pag. 91. vult mediam horam impendi Missæ privatæ. Pro Sacerdotibus Societatis JESU, *P. Mutius* 20. Mart. 1628. declaravit impendendam esse mediam horam ad Altare, id est, à formatione crucis in Introitu usque ad finem ultimi Evangelii. Sanè valde indecorum est festinare in Sacrificio, nam festinans significat, ac si censeret perditum vel minùs bene collocatum tempus, quod ponit ad aram, cum tamen sæpe ante vel post Sacrificium longas horas det otio aut inutilibus fabulis. Si aliquando causa esset solito citiùs celebrandi, cavendum, ne populus advertat, quòd festinetur, sed debent publica plenè enuntiari cum gravitate & tarditate, lucrum

autem temporis potius quærendum est sub utroque *Memento* vel sub aliis, quæ secretò dicuntur, omittendo privatas devotiones, & non sistendo inter actiones. Vanissimum autem esset quærere gloriam in legenda celeriter Missa. Pro formanda ante Missam intentione secundum quadruplex genus Sacrificii, utilissimè legitur *Cardin. Bona De Missa* c. 4. §. 6. 8. & seqq. Et cum *S. Bonav. De purit. consc.* c. 9. putet Sacerdotem obligari ad rememorandam Christi Passionem, *Bona* §. 13. tradit praxin illius rememorationis, & §. 14. addit devotas, orationes pro dispositione ad Missam.

§60. §. 2. *Urb. VIII. Constit* 161., & *Synodus Colonienf.* pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel Laicus ante Missam vel communionem sumat tabacum nasale: si autem tabacum traheretur fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant *Authores* cum *Busenb.* relato p. 1. n. 550., & multò maximè dedeceret, si masticaretur. An verò tum frangeretur jejunium, dictum est illo n. 550. & 569.

§61. §. 3. Guttæ ad infusionem vini & aquæ calici inspersæ absterguntur purificatorio, vel calix circumagitur, ut cum reliquo vino continentur, *Gav. Lohn.* Si tamen utrumque negligatur, nullum est peccatum, inquit *Tamb. De Sacrif.* l. 2. c. 1. §. 3. n. 29. Neque convenit, ut illa abstersio fiat immediatè ante consecrationem, *Tamb.* Cum autem celebrans lavit manus, interea dum abstergit & decurrit psalmum, *Lavabo*, corpus & vultus vertitur versùs medium altaris.

§62. §. 4. Episcopus, qui in canone nominatur, est Episcopus celebrantis, uti habet praxis, & com-

comm
tit. 2 I.
749. di
nomi
tur & r
clarati
nam fa
tradit.

§. 5.
non de
stia, sec
relictæ
tem re
immin
nim po
patena
transil

§. 6.
modifi
riorem
quitur
terâ de
te infe
quæ ca

§. 7.
lingua
facile
bet pa
non a

§. 8.
appre
Gav.
in no

§. 9.
decen

communiùs tenent Authores apud *Lohn.* p. 2. tit. 21. n. 4. quamvis *Arnaud, Gav. & Gob.* nu. 749. dicant à S. Congreg. declaratum esse, quòd nominandus sit Episcopus loci, in quo celebratur & non præcisè celebrantis, de illa enim declaratione non scitur authenticè. Præin bonam faciendi *memento* pro vivis & defunctis, tradit *Bona* suprà §. 7.

§. 5. Patena post *Pater noster* supposita hostiæ 563.
non deponitur in medio Altaris, ubi jacuit hostia, sed ad latus dextrum, ne particule in Altari relictæ exterius patenæ adhæreant: hostia autem relinquitur ad latus sinistrum patenæ, ut immineat eidem loco, in quo antè jacuit, sic enim postea etiam faciliùs ex illa tantùm parte patenæ colliguntur particule, nisi fortè longiùs transilirent.

§. 6. Fractio hostiæ ante *Agnus Dei*, com- 564.
modissimè fit, si à parte superiore usque ad inferiorem priùs inducatur plica, quam postea sequitur facilis diffractio. Postquam autem dexterâ deposuisti partem mediam, decerpis à parte inferiore, quam tenet sinistra, particulam, quæ calici immititur.

§. 7. Hostia sumpta parùm relinqui debet in 565.
lingua, ut affluente salivâ humectetur, alioquin facilè allidit & adhæret palato: Quod si fiat, debet paulatim revelli linguâ vel vino sumpto, non autem digito.

§. 8. *Lohn.* tit. 25. vult calicem ebibendum 566.
apprehendi infra nodum, uti rubrica habet: *Gav. & Bauldrius* explicant de apprehensione in nodo ipso.

§. 9. Si particula hostiæ adhæserit calici, 567.
decentius est, ut cum infuso vino adducatur,

- quàm ut digito attrahatur ad labium calicis.
568. §. 10. Melius est, ut sacer Sanguis uno hauritu sumatur calice paulò diutiùs retento ad os : Et decens est, ut vinum pro purificatione sit ejusdem quantitatis, cujus erant sacræ species : Si autem sit minoris quantitatis, calix inflexus debet semel aut bis circumagi, ut abluatur pars calicis sacris speciebus tincta : Et tum debet hoc vinum eadem parte calicis sumi, quâ sacer Sanguis sumptus est. Purificatio semel, ablutio ad summum bis hauriri debet. Indecorum est ita fugere calicem, ut populus audiat.
569. §. 11. Quando calix extenditur ad Ministrum pro accipiendo vino purificationis, debet teneri in aëre suprâ Altare, & non deponi in Altari : tamen Minister sit nimis parvus, potest extra Altare teneri.
570. §. 12. Missale secundum *Gav.* clauditur manu dextrâ, ita ut clausura respiciat sinistram. Alii volunt clausuram semper verti ad medium Altaris, sed cùm Rubrica neutrum præscribat, ut nec in multis antecedentibus, hinc liberum est facere, prout voles.
571. §. 13. In fine benedicturus populo coram Episcopo habente jurisdictionem loci inclinat huic caput, quasi licentiam petens, & postea benedicit populo ab ea parte, in qua non est Episcopus : qui si sit in medio, celebrans benedicit stantibus ad latus Evangelii. Si Venerabile sit expositum, dicto, *Omnipotens Deus*, genuflectit & se retrahit ad latus Evangelii, ibique benedicit populo, & non perficit circulum, nec iterum genuflectit, sed conversus inchoat ultimum Evangelium.
572. §. 14. Si celebrans ad ultimum Evangelium non

non utatur libro vel tabellâ, tum signat altare, & postea se in fronte, ore & pectore. Si Venerabile sit expositum, non signat altare, cum illud jam benedicatur per Authorem omnis benedictionis in altari expositum, sed signat aliquid aliud, v. g. pulvinar, *Gav. Lohn. tit. 30.*

§. 15. In fine Evangelii S. Joannis ad Verbum Caro factum est, semper genuflectitur ad cornu altaris, nec debet celebrans convertere se ad medium, quamvis Venerabile esset expositum, *Lohn. & alii contra Arnaud.* 573.

§. 16. Si ante vel post Missam, aut aliàs sit exponendum vel reponendum Venerabile, ad panem de cælo, semper additur *alleluja*, præterquam a Septuagesima ad Sabbathum S. S. Congreg. 23. Febr. 1666. 574.

§. 17. Sacerdos regressus ad locum, in quo se in sacristia induit, habens impositum biretum inclinat caput Cruci; quod similiter fit ante egressum è sacristia ad altare. Ubi commoditas alia non est, possunt paramenta deponi in loco Evangelii, ibique potest Sacerdos se illis induere, sed non in medio, quia hoc solis Episcopis convenit. 575.

§. 18. Posse aliquem ex aliqua saltem causa, statim postquam communicavit, comedere aut bibere, dixi in p. 1. n. 559. quod magis valet de illo, qui Missam legit, cum jam satis diu præcesserit communio, & species cum Missa fortasse desinant, secundum ibidem dicta n. 476. Videri potest etiam *Heno* n. 1649. 576.

Hic addo Ritus ubique à Societate JESU observandum ex Decreto Congregationis Generalis XV. anno 1706. 1. In festo S. P. N. Ignatii fit officium primæ classis, & primæ lectiones

dicuntur de communi, *Justus si morte*. 2. In festo S. Franc. Xaverii fit officium 2. classis, & primæ lectiones ut in festo S. Ignatii. 3. In festo S. Franc. Borgiæ officium 2. classis: primæ lectiones de communi, *Beatus vir*. Missa, *Os justi*, De communi, & solum Evangelium De communi Abbatum. 4. In festo Ss. Martyrum Pauli, Joannis & Jacobi, officium duplicis majoris, & totum, etiam in 1. Nocturno, De communi plurimorum Martyrum in 1. ordine. Missa, *Salus autem Justorum*: Evangelium ex 1. Missa, *Cum audieritis*. Non dicitur *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solenniori Missa. 5. In festo B. Aloysii Gonzagæ (præterquam in ditione Mantuana) officium duplicis majoris, totum De Communi, etiam in 1. Nocturno, ut in 1. ordine. Missa, *Os justi*, sine *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solenniori Missa. 6. In festo B. Stanislai Kostkæ officium eodem ritu (præterquam in Polonia & Lithuania, ubi fit etiam octava) & totum de 1. ordine ejusdem communis, excepto Evangelio, quod sumitur ex secundo, nempe, *Nolite timere pusillus grex*. Missa, *Justus ut palma*, sine *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solenniori Missa. 7. Octava fit de Ss. Ignatio, Franc. Xaverio & Franc. Borgia. Estque octavarium Neapoli impressum anno 1696. quo possunt Nostri liberè uti, etiam per annum, cum sit conforme octavario à S. Rituum Congregatione approbato. 8. Pro commemoratione omnium in Societate Defunctorum, Missa prima, ut in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum,

rum,
mulari
Ex
mus
classis.

Q.
legere
gere E
se attin
quanc
prout
tum e
6. tit.
dus J
ritu, u
tation
Nequ
mom
habe
ac re

PO
nus
cum
vum
tia,
Deu
cem
vare
gun
mus
nis

rum, omisso dumtaxat in oratione verbo, *Familiarumque.*

Ex concessione SS. D. N. Clementis XI. agimus 14. Jan. de SS. nomine JESU sub ritu 2. classis.

Q. 82. *Quomodo possit aliquis discere accurate* 577.
legere Missam. R. Pro hoc necesse est attentè legere Rubricas, & initio ad illas in praxi sollicitè se attinere; si enim quis in principio negligat, quando est Neo-presbyter, nunquam discet, & prout malè assuescet, semper malè leget. Multum etiam juvabit legere vel *Lohn.* De Missa p. 6. tit. 14. vel alium libellum, cui titulus, *Methodus sacrum Missæ Sacrificium celebrandi Romano ritu*, ubi Missam ponunt ad longum, cum annotatione observandorum circa ritus singulos. Neque censeretur debet; has esse minutias parvi momenti, cum singula suam significationem habeant, & plurimum conferant ad decorem ac reverentiam tanto Mysterio debitam.

TRACTATUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Pœnitentia sæpe sumitur pro virtute, quæ 578.
 movet ad dolendum de peccato, quatenus reddit aversum, & frangit pacem cum Deo; adeoque objectum formale motivum virtutis pœnitentiæ, in probabili sententia, est honestas in eo relucens, quod is, qui Deum offendit, quærat eum placare, sive pacem cum eo restituere ac imposterum conservare. Et de hac pœnitentiæ virtute pluribus agunt Scholastici; nos hic de Sacramento agimus: De actibus tamen contritionis, attritionis, propositi emendationis &c., qui possunt
 saltem